



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. XL. Oritur magna tempestas ob eius Orationem; in qua humiliter tulit contemptus

urn:nbn:de:hbz:466:1-42916

CAPVT XL.

ORITVR MAGNA QVAEDAM
tempestas ob eius Orationis modum; in
qua heroicam suam humilitatem ac
patientiam, qua suos tulit con-
temptus ostendit.



VAMVIS excellens sit ac glo- A N N O
 riosa humilitas, quæ in medijs 1576. & 77.
 honoribus & prosperitatibus
 retinetur, necdum tamen benè
 probata, profundè radicata,
 totamque suam perfectionem
 habere censetur, donec con-
 temptus & aduersitates accedant: in quibus (vt
 proximo capite dicere cœpimus) reprehenditur:
 an verò ita demissè iustus de se ipso sentiat, & cu-
 piat ab alijs cõtemni: nam, cùm id euenit, gaudet,
 vidès se pro meritis tractari; & humilitas, quæ an-
 tea erat vera, iam fit chara, cùm suos contemptus
 amat, & in eis exultat. Tunc etiam mansuetudo
 elucet, quia iræ impetus, in cõtemnentes exurgēs,
 refrænatur; patientia, quæ moderatur tristitias ex
 eo proueniētes, quòd se videat cõtemni; dilectio
 inimicorū, quia, contra suū honorē aliquid faciē-
 tes, diligit; beneq; loquitur de ijs, qui malè de ipso
 loquuntur; fiducia in Deum, quia non abijcit ani-
 mum, etiam si videat se ab alijs abijci; amor deniq;
 ipsius Domini, cui eadē cura & studio hoc tēpore
 seruit, atq; in altero. Ac propterea Christus D.N.
 Gg z (vt

Homil. 8. in
Matt.

(vt S. Chryſoſtomus aduertit) delectatur, quòd
ipſius Electorum vita contextatur ad ſimilitudi-
nem ſuã, & Apoſtolorum ſuorum varijs hiſce e-
uentibus honorificis, & contemptiuis; proſperis
& aduerſis: vt ſic omnibus ſuperiores euadant; &
ſi proſperi eos extollunt, aduerſi demittant; & ſi
hi illorum animos deiiciunt, illis eos reſumant
& foueant: & ſic, vt Apoſtolus dicit: euadant fide-
les Chriſti miniſtri, ſtrenuè pugnantes a *per ar-*
ma Iuſtitie à dextris & à ſiniſtris, per gloriam, &
ignobilitatem: per infamiam, & bonam famam; vt
ſeductores & veraces: ita vt non propter occur-
rentes calamitates deſint ſuorum miniſteriorum
fidelitati.

a 2. Cor. 6.8.

S. I.

TALIS fuit Pater noſter Balthaſſar, quem
Chriſtus D.N. in huiusmodi euentibus vo-
luit probare, permittens, vt eius honor in
re, quam maximi faciebat, tangeretur: in his enim
ſolet Deus ſuos probare, vt quòd probatio magis
premet, eò humilitas, & fidelitas in ea præluceat,
ac emineat. Sæculares probat in honoribus, ac de-
litijs temporalibus, quibus illi delectantur; viros
eruditos in opinione Eruditionis, quam ipſi ma-
gni faciunt: At viros ſanctos, qui virtutes, resque
ſpirituales omnibus præferunt, in ijs probat, quæ
ad illas pertinent. Et quoniam P. Balthaſſar hæc
tantum in precio habebat, in hoc ipſo illum pro-
bauit: ſtatuens, vt non ſolùm internos multos læ-
bores ſuſtineret, ariditatis, obſcuritatis, duritiei,
aliasque ſimiles probationes ſuperius inſinuat; *ſed*

sed etiam per externam tempestatem, quæ coepit tempore, quo erat Salmantica Rector, & progressa est etiam cum esset Villa-Gartia: permisit enim, ut aliqui eam de ipso opinionem conciperent, quod esset valde rudis, illusor, ac deceptus; ac proinde alios quoque deciperet: nescientes enim excelsum orationis donum, quod illi Deus communicabat: existimabant, esse à Sathana transfigurante se in Angelum lucis: & ideoque urgebant eum, ne talem viam teneret. Nec defuit, qui minaretur velle se rem ad sanctæ Inquisitionis Officium deferre; veritus forte ne quem errorem inbibisset Illuminatorum. Suspicebantur, ipsum contemnere communem orandi modum, per meditationes & mentis ratiocinationes in Societate vsurpatum, & à Sanctis approbatum; velle verò nostros per singulares alios, & parum tutos modos deducere: quamobrem bono Zelo viri aliqui graues illi aduersabantur. Nec mirum hoc est, neque in Ecclesia aut Institutis religiosis nouum: quod inter viros ipsos Iustos (absque tamen aliqua culpa) sic interdum ex Zelo sancta quædam dissensio, ut contrarias sequantur opiniones & sententias: quia quisque credit, suam esse veram; aut certam veritatem defendentes, existimantes tamen, alium contra illam sentire; quamuis in tali cogitatione decipiantur. Si enim ipsi custodes Angeli solent in rebus aliquibus sibi inuicem repugnare, cum Dei voluntas non est ipsis manifestata, quemadmodum refert Daniel Propheta, quod Angelus *b Princeps Regni Persarum restitisset Angelo Custodi Hebræorum: mirandum non est huiusmodi pugnas inter homines, etiã iustos,*

& sapientes inueniri: qui quod homines sint, facilius veritate aliquam ignorant, aut decipiuntur, cogitantes, aliquem ei aduersari, qui maximè illam amare, ac tuetur. Hoc itaque euenit P. Balthassari, de quo graues aliqui, valdeque Religiosi viri, & optimam habentes intentionem, ex aliquibus indicijs suspicabantur, quæ diximus; eaque detulerunt ad P. Generalem Euerhardum Mercurianum, cui cum P. Balthassar non ita esset notus, atque eius prædecessori P. Francisco Borgio; & qui eas scribebant, erant viri alicuius auctoritatis, & habentes zelum boni communis: voluit P. Generalis, rem benè examinari, eamque totam commisit P. Visitatori, quem miserat in Hispaniam P. Iacobo Auellanedio; qui dum visitaret Collegium, cuius P. Balthassar tunc erat Rector, statim iussit, tradi sibi ab eo omnia sua scripta videnda, & examinanda quæ Pater promptissime tradidit, cum tanta subiectione, atque si esset aliquis Tyro, nullo verbo obiecto, & opposito toto tempore, quo P. Visitator illa apud se habuit. Et cum alij viri pij & eruditi eum de hoc argumento alloquerentur: ille tacebat, & ferebat; ac permittebat se probari, examinari, & conueniri, rare in ea re humilitatis, ac patientiæ iudicia præbens. Eodem tempore aliqua etiam falsa illi obiecerunt: quæ tamen ita transire permittebat, atque si ad ipsum non spectarent; & se ipsa faciendæ quæ alij faciendæ proponebat: non esse perfectam humilitatem absque humilitione, neque patientiam absque vehementibus congressibus, & præcipuam virtutis partem in eo consistere, quibus talibus occasionebus & oportunitatibus v-

non negligat; & ipsum profectum maximè confiteri in eo, vt quis nouerit benè se humiliare, tolerare, & tacere; exponendo etiam periculo honorem, existimationem propriam propter Dei amorem. Quod vt confirmaret; eisque, qui in suo Collegio versabantur animum adderet, dixit ipsemet in quadam exhortatione, quod semel honorem suum periculo exposuisset; & ex tunc incepisset Dominum plenè, vt dicitur, manibus dona, ac beneficia ipsi conferre. Occasio autem fuit, quod in quadam Congregatione Provinciali aliquid satis graue de se fuisset dictum, propter quod fuit publicè coram omnibus Patribus reprehensus. Ipse autem hærebat cogitans, an expediret reddere sui rationem: eò quòd quidam ex grauioribus & Sanctis Patribus, qui ibi aderant ei suadebat, vt faceret: siquidem adeò verè id poterat facere; imò illum vrgebat & obstringebat, vt faceret, eò quòd bonum ipsius nomen in materia virtutis tanti esset momenti, tam erga domesticos, quàm erga externos. Sed cum illud consilium propensione suæ naturali valde arri-deret, noluit illi fidere, sed locutus est cum quodam alio Patre valde fideli Dei seruo, qui dixit ei: si taceret, nec publicè aut priuim in ea causa pro se responderet, fore id magnum & gratum Deo Sacrificium: Et ita fecit, successitque illi adeò benè apud Deum Dominum nostrum qui liberali sua manu heroicum illud silentium remunerauit, vt sæpius gratias illi egerit pro tam bono cõsilio; quòd postea in omni occasione occurrente seruauit;

& in ijs, quas nunc referimus, quàm diu Superiores non iubebant ex obedientia, sui rerumq; suarum rationem reddere.

IN IERIM, totum ipsius solatium erat in Oratione & Sacro ad Deum suum recurrere: à quo responsa accipiebat, quæ ipsum consolabantur, animumque in his pressuris addebant, vt ex ijs, quæ ipse in suo libello refert, apparebit. Dicens, quod cum esset corde valde compresso, ex re quadam sibi aduersa, existenti in Sacro, Dominica nona post Pentecosten, dederit ei Deus quatuor interna sensa, quibus cor fuit dilatatum. *Primus* sensus fuit ex verbis illis Apostoli, quæ habentur in Epistola: *c fidelis Deus est, qui non patietur tentari te supra id, quod potes.* *Secundus* fuit ante Sacram Communionem, dicens ei internè: si Religionis huiusmodi fel deesset, quid tibi mei causa ferendum superesset? & tunc mihi occurrebat, quòd si ego essem qualis deberem, debuisssem potius similes fellis haustus, imò etiam amariore optare; & si huiusmodi difficilia & ingrata vitæ iusti desint, idem esse, atque si Christi Domini coronæ spinæ deessent, aut auri cuspides, preciosæ vesti. *Tertius* fuit ipso tempore, quo sumpturus eram sacratissimum Sacramentum, audiui enim internam quandam vocem dicentem: hoc fac: pro te quid tu fortè facies? quasi hoc dixerit: Offer, & accipe (quod facis) corpus & sanguinem meum: ex quo vires accipias ad tuas ferendas angustias: proprijenim tui commodi causa, quid tale esse potest, quod tu non facias, ferasve libenter? *Quartus* fuit in gratiarum actione post Sacram communionem, quasi internè hæc verba audiret;

c 1. Corint.
10.13.

diret; conquiesce, & in hoc solare, quod hæc tua
 pressura geratur, vidente & cognoscente Deo,
 qui etsi posset, non tamen illam remouet, etiam si
 plus te diligat, quam tu te ipsum. His solidis aded
 rationibus animabat Deus D. N. hunc seruum
 suum, vt demissè valde ac patienter huiusmodi
 pressuras, & internas, externasque difficultates &
 molestias ferret.

IPSE quoque se ipsum animabat, & spiritum re-
 sumebat, alloquens se ipsum, dicensque sibi: erras,
 si cogitas, te integrum, & non benè contusum per-
 uenturum ad cælum. Cælorum enim regnum est
 detruncatorum regnum, têtatorum, afflictorum,
 contemptorum, & qui has & similes alias ærum-
 nas & calamitates experti sunt. Quomodo igitur
 auderes inter tot aded celebres ac decantatos
 Duces, & Capitaneos comparere, aded timidus;
 vt si Deus causam & litem tuam tibi ipsi decide-
 dam committeret; eam contra te ipsum decide-
 res? Deus vult, te hoc intelligere preciosum esse
 bonum, quod quærimus, pro quo obtinendo tan-
 ta toleramus. Si cupidus quispiam in sua vinea
 colenda multas pecunias, & tempus expendisset:
 & post magna indicia copiosi fructus, videret eã
 grandine confringi ac destrui: quid is in animo
 sentiret? quod si grandines ipsæ, aureæ essent; quã-
 tam acciperet consolationem? multò siquidem ma-
 ius esset illi lucrû, quàm esset iactura vineæ. Aurei
 sunt lapides, valdeque preciosi, contèptus vehemè-
 ter locuplerantes eos, qui nouerût esse patientes.

IN huiusmodi etiam occasionibus dicere so-
 lebat: debere vnumquemque attendere: omnes, qui
 sunt in cælo Sanctos, ipsum aspiciere, & expecta-

Gg

s

re, quo-

Matt.

re, quomodo ipse difficultatem illam superet, & ex ea proficiat. Et Christus ipse Dominus noster dicebat: *discite à me, quia mitis sum & humilis corde*: attendens, quomodo nos in his difficultatibus geramus, iram mansuetudine frænantes; & contemptum humiliter tolerantes: saltem, ne ipse iure còqueratur, quòd eius verbum, & exemplum parvi faciamus. Cogita, inquit, quid sentiat Superior, si se primò veniente ad communes Collegij occupationes: id non sufficiat, ve alij ad eadē exactè & ad nutū còueniā; & se ad domū purgādā, scutellas lauādas demittēte, alij non imitētur, & se ad còmunē orationē surgēte, alij ex ignavia in lecto remaneāt? Si igitur homo puluis grauius fert, verba & exēpla sua optato fructu carere: quid sentiet Christus, si verbo suo non obediatur, & exemplum obliuioni tradatur?

*Ex S. Bern.
Ser. 3. de Nativitate.*

§. II.

EX ijs considerationibus spiritum resumebat in suis tribulationibus, ex quibus valde profecit: quia non solum non ostendit irā, aut indignationem aduersus contemntes, & persequentes ob causam prædictā; sed magnum potius amorem, & gratitudinem, quasi ab eis singulare aliquod beneficium accepisset, id quod est raræ virtutis indicium, ei valde similis, quam Christus ostendit blandius, ac tenerius cum suo venditore & proditore agens. Ita ipse in varijs occasionibus ostendit. Nam Fratri cuidam valde sibi familiari Salmanticæ dicenti: iniquè agere quosdam Patres, malè de ipsius rebus sentiētibus. Sermonem interrupit; dicens: istos Patres venero ego, & super caput meum pono: eò quòd plurimum

num eis debeat anima mea; & per quos magnū bonū & vtilitas mihi prouenit. Et cū Villa-Gar- riam itaro, vt Rector ibi esset, vbi erat quidam il- lorum Patrum futurus ipsius Subditus, idem fra- ter dixisset: ibi poteris ei ostendere, quā male tecum egerit, respondit ei P. Balthassar: quem ego tibi magis venerabor, & frequentius consulā, erit iste Pater. Et cū in eodem Collegio valde Sub- ministro commendaret, vt singularem adhiberet curam, ne quid Patri illi deesser, ei que valde in- dulgeret, Subminister, illius rei benè conscius, ad- mirans dixit Patri Balthassaro, cur V.R. iubet tali homini indulgeri? respondit ei Pater cum ma- gna mansuetudine & charitate: id facio, vt illum lucrer: quem si ego non lucrabor, ipse me lucra- bitur. Alius quidam eiusdem Collegij retulit ei- dem, quæ de ipso dicebantur: Pater verò audiens subristit, editis singularis lætitiæ indicijs. Quod aduertens, qui illa referebat, interrogauit, cur ipse adeò exultaret? Pater cum singulari læ- titia respondit, quia nunc video, Deum mihi benè velle, quem per suorum amicorum viam deducit: nam diu fui sollicitus, quod videretur Dominus mei oblitus.

IN simili etiam alio casu, cū ipsi referre- tur quiddam satis graue, quod insignes quidam Patres bono Zelo contra ipsum fecissent: hoc re- spondit: in posterum certè quotidie istos Pa- tres singulariter Deo in Sacro commendabo; fecitque quod dixit, explens ad litteram, quod Saluator noster dixit: *orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in calis est.* Hac ratione valde proficiebat ex
occa-

occasionibus à Deo sibi oblatis, vt ei pacem, hac via comunicaret: quam ita consecutus est, vt animum haberet omnibus euentis, prosperis & aduersis superiorem; nec vllus posset cor eius commouere, aut turbare.

Ex hoc inuicto eius animo oriebatur vis & efficacitas illa, qua in suis exhortationibus loquebatur de amore & affectu ad opprobria & contemptus ferendos: Auditores exhortans, vt cum occurrerent, gauderent: quia expertus ipse erat, quātum ex eis proficeret. Imò interdum, vt paulò superius diximus, se ipsum ponebat exemplum, vt nos in re adedè difficili magis exstimularet. In eum finem audiui ipsum in quadam exhortatione referentem; quid euenisset in itinere, cum ipsa ex Collegio Salmanticensi, vbi fuerat Rector, veniret Villa-Gartiam, vt Rector ibi esset: nam quidam, qui simul proficiscebatur, interrogauit socium Patris, quis ille esset, vnde veniret, & quò proficisceretur? quæ sunt ordinariæ quæstiones de huiusmodi viris in itineribus. Cui cum socius, quod verum erat, & iam diximus, respondisset: Viator ille, quasi rem valde perpendens, respondit, quòd qui erat Rector adedè præclari Collegij quale est Salmaticense, descendat, vt Rector sit in alio Collegio, quale est Villa Gartienne: id non est absque aliqua causa non bona. Insinuās (vt alij quoq; qui simul proficiscebatur, cogitarūt) esse genus quoddam exilij & poenæ ob aliquos eius defectus. Sanctus Pater, cum hoc audiuit, lætatus est ex tali contemptu, dicens nobis: huiusmodi contemptus absq; propria culpa esse bonos homines sine vllio offe. Et huiusmodi dedit ei Dominus multos, vt pinguesceret,

teret, & cresceret in spiritu. Nam omnes, quos
 contemnimus, non solum fuerunt absq; illius culpa;
 sed, quod amplius est, propter causas adeo sanctas,
 ut gloria potius dignus esset, siquidem crucem
 conscendit, non ut bonus latro, qui suis peccatis
 iam erat promeritus: sed ut ipse Christus, qui, cum
 esset innocens, cruci fuit affixus propter egregia
 opera, non bene ab alijs cognita, quorum cau-
 sa dignus erat, qui ab omnibus hominibus honore
 officeretur, & adoraretur. Similis etiam fuit Vir-
 gini sacratissimæ, (cui erat pijsimè addictus) quæ
 pro conceptum filium Dei, quod opus erat æterna
 gloria dignum, venit in suspensionem apud S. Io-
 seph suum sponsum: quasi esset adultera. Quamuis
 nec Sanctus ille sponsus in ea suspitione fuit cul-
 pæ alicuius reus; ut qui rei adeo inuisitæ causam
 ignoraret: tunc autem multò melius sapiunt con-
 temptus, cum nec contempti præcedit culpa; nec
 contemnens Deum offendit, propter zelum con-
 iunctum cum ignorãtia, quæ illum excusat à cul-
 pa. Nam licet sancti lætentur, dum contemnu-
 ntur: gaudium tamen illud diluitur à tristitia, quæ
 oritur ex iniuria Deo, ab eum contemnente facta;
 & spiritali iactura, quam idem contemnens fa-
 cit: dulcissimum tamen, ac iucundissimum est,
 contemptus & ignominias pro Dei honore tole-
 rare absque vlla contra eundem admissa in-
 iuria: tales autem fuerunt, quas Pater

Balthassar sustinuit, ut
 dictum est.

(* *)
 (* *)

CAPVT